


3 + 4 / 87

IDIBVS APRILIBVS
MCMLXXXVII



RUMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 64

RVMOR VARIUS

RVMOR VARIUS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKADis editur.

RVMOR VARIUS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIUS P7 642.719.0

RVMOR VARIUS wird von der SOCIEtas LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIUS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
Übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner
Druck:
Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIUS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Omnis Rumoris Varii fasciculus, ut iam scitis, cuique legenti aliquid fert, quod dignum ut legatur censem. Inter symbolas, quae nostro libello imprimi solent, non modo tractationes de rebus modernis sive ad nostra tempora hodierna pertinentes, sed etiam de rebus mediaevalibus et antiquis pertinentes inveniuntur. Qua re efficitur, ut Latinitatem amantes omni fasciculo novo edito - etiamsi non quamque symbolam legant - gaudeant.

Hoc libello e.g., quem manu tenetis, incipit series quinque partium novo de themate nostris diebus vulgo ubivis disputato: de computatris. Quae series a Roberto Maier et Matthia Heyden diligentissime composita testatur factum, quod omnes commentarii sive nuntii Latini moderni iterum iterumque demonstrant: quod lingua Latina instrumentum maxime utile est, quo res et antique et modernae sine ulla difficultate exprimi et explicari possint.

Haec series quidem fortasse minus probabitur ab iis, qui Rumorem Varium legentes imprimis eius symbolis brevibus alacribusque indulgent; praesertim cum ea, quae de computatris fasciculis subsequentibus tractentur, non cuncta primo visu lectue facile intellegantur. Tamen hoc opus magna diligentia magnoque labore apparatusque compositum vobis, cari Rumoris Varii amici, propter qualitatem excellentem dissimulare noluerimus. Censemus autem eum, qui hanc seriem legere non timeat, se in mundum mirabilem computatrorum mersurum et ex hoc studio rei modernissimae maximum fructum capturum; intellecturum illa esse vera, quae supra de utilitate Latinitatis modernae statuimus.

Quid ultra in hoc libello? Sub titulis novis et solitis multa inveniuntur, quae cuique legenti aliquid ferunt. Nunc vertite paginas, videte, legite, gaudete! Curate, ut semper valeatis!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann

In statione traminum

(fabellae a discipulis compositae)

De rustico in oppido

Dominus Cuprifaber (Kupferschmied), rusticus Bernensis, numquam fere in oppido erat. Die autem quodam curae pecuniariae causa statim tramine Bernam cessurus in stationem Langnauensem pervenit. Sed quod sero advenit, tramen non iam attigit. In taberna liquorum stationis Cuprifaber iratus cerevisiam potans atque cigarum fumans et proximam profectionem mox fieri posse putans exspectat. Subito praefectus profectionem traminis Bernensis nuntiavit. Cuprifaber trans stationem currens tramen contingit et ascendit. Nunc contentissimus erat.

- Estne fabula finita?
- Non est. Vir enim, qui profractionem traminis Bernensis nuntiaverat, non praefectus stationis, sed miser delirus erat. Qui in statione notus erat, quod vestibus praefecti induitus semper falsas vias traminum indicabat.
- Et Cuprifaber?
- Ad Thurgoviam appulit!

Composuit Daniel Menna, puer XIV annorum

In statione traminum

Dominus quidam stat in statione traminum exspectatque

tramen. Tandem adventus traminis evocatur. Quaerit e baiulo: "Aufer, quaeso, sarcinas meas!" - Respondet ille: "Recte quidem! - Vir conscendit tramen et temptat sedem invenire. Rogat: "Ignosce! Estne haec sedes adhuc libera?" Statim sedet. Amicus eius, qui eum comitatur, optat bonum iter. Tramen cedit.

Composuerunt Gabriella Csontos et Silvia Baumann, puellae XV annorum.

De feriis eximiis

Familia Bynclia ferias degere in animo habet. Comprehendunt horarium traminum generale et quaerunt tempus profractionis traminis rapidi. Tum prehendunt sarcinas et properant ad stationem. Tramen iam advenit. Domina Bynclia tramen intrat, considit in sede fenestrali. Tandem currit dominus Bynclius ad ostiolum tesserarum et spoliat tesseras itinerarias. Deinde recurrat, sed nil videt nisi tramen ante nasum suum abvehi.

Clamat furore incitatus, cum stationis praepositus venit clamans: "Eheu, iste fur tessarum itineriarum est! Comprehendite eum! Iactate eum in carcerem!"

Tandem dominus Bynclius in carcere totum feriarum tempus sedet, dum uxor eius eximias pulchrasque ferias degit.

Composuerunt Manuela Wälchli et Jacqueline Mosimann, puellae XV et XIV annorum.

De tessera amissa

Paulus cum amico suo Iona feriis iter ad ripam Nili fluvii suscepturus est. In itinere inter Bernam Turicumque currum escarium intrant et hunc Turici iterum relinquunt. Tramine relicto animadvertisunt se tesseras aëroplani non habere. Tessera interim a stationis praeposito inventa mulieri informationum mandatur. Tum pueri ad informationum ostiolum, quod situm est in aëroportu, tesserae quaerunt. Ibi eam inveniunt et properant sedes duas reservaturi. Tum Helvetiam aëroplano beati relinquunt.

Composuerunt Iona Bocèk et Pablo Duc, pueri XIV annorum.

De viro quodam per Germaniam errante

Hora decima et dodrante Tacitus tramen ascendit. Istud tramen Dusseldorfum cedet. Sed Tacitus in statione traminum suarum sarcinarum itinerariarum obliviscitur. In proxima statione igitur descendit et in capona stationaria praepositum rogat, quando proximum tramen Monacum cessurum sit. E megaphono vox: "Tramen Monacense hora vicesima cedet!"

Cum Monacum advenit, ad depositorium sarcinarum properat et rogat: "Ubi riscus meus est??!!" – Ad quae baiulus: "Riscum tuum, domine, sarcinas putans in tramine Lutetiano posui..."

Composuerunt Francesca Stern et Patrik Kneubühl, liberi XIV annorum.

Illas fabellas, quas nunc legistis, omnes composuerunt discipuli mei classis V. progymnasii Bernensis. Quibus ante oculos posueram librum famosissimum patris Caelestis Eichenseer, cui titulus "Latein aktiv". Quo usi fabellas "ferriviarias" creaverunt, quas ego paululum modo perpolivi, ut menda gravissima tollerentur. Sed pauca modo inerant! Memorandum denique est discipulos meos ante duos fere annos tantum Latinitati studere coepisse.

Martinus Meier




DJONGSJO, VIRO MUSICORUM PERITO

Perge salutatum, multis perarata litoris,
aere ab Andinis littera missa plagis,
quem tulit egregium Gallorum tellus amicum
praclaris omni tempore farta viris.
Perge sed inulta pannis induita Camenae:
pectoris es grati fida ministra mei.

Docti cum magnas vatis lustraveris aedes
contingas trepido limina, quaeso, pede;
muneris ipsa memor, primum quate pulvere vestes,
pulsabis latas dein pudibunda fores;
longis lassa viis, mandati conscientia nostri,
tunc domini veniam more rogantis habe.
Quaerenti dices terras habitare remotas,
quas vix sol flammis gaudet adire suis,
quo nullus musicis honor et quo cantica sordent
resque pia veteres religione iacent,
artibus ingenuis dedecus, quo carmina languent,
ingeniois penitus quo proba Musa latet.
Tanto cauta viro multas persolvere grates
verbis, demissa fronte, memento meis.
Admoneas pariter studio trivisse libellos
sollicito decies laetitiaque suos;
exactum domini lingua sapientis utraque
ingenioque animae iure merentis opus!
Numine perfusus sacro, primordia mundi
surgentis miris pandit et ille modis:
Christicolis cunctis miranda condidit arte
quae summus vitae verba Magister habet.
Plura super cantu, templis recinenda sacratis,
ille docet, numeris claudit et ille novis.
Denique susceptum scribentis perfice munus
sedula mendosis charta coacta notis:
palmitis excissi dilecto trade sodali
siccatum folium, quod levis aura rapit.
Pace bona placidus parvum legat ille libellum
scriptaque cum venia qualiacumque, roga.
Quod solitum, mutuo signetur epistula voto:
sit tibi cura mei, sit mihi cura tui.

Raymundus Sarmiento Argentinus



Terrarum mirabilissima decem

(Systema sapphicum)

I. Urbs "Bankok" vulgo nuncupata

Aureis templis locuples ad alta
quae levant pinnas oriente tinctas
et smaragdorum reserans referta
splendida tecta,

ecce Bankokum placidi Menami
angelorum lar madefactus undis
caeruleis mirans in aquis scapharum
sistere turbam.

II. Novum Eboracum (New York)

Sustinens taedam rutilam puella,
liberae terrae suboles, salutat
iam procul naves saturas petentes
litora pacis.

Hic manus stringit nigra fulvam et albam,
exprimit concors studium laboris
gens et excelsi vario penates
nubila mulcent.

III. Horti urbis japonicae, cui nomen "Kyoto"

Candidi flores cerasi propinquuo
vere consternunt nive rura densa,
azalearum varium tapete
prata colorat.

En lacus praebet speculum Kyoti
leve castello foliisque crassis,
hic canunt alba volucres sub umbra
magnoliarum.

IV. Insulae Tahitianae ('Tahiti')

Iam maris parent vitrei colores
atque arenarum crocinum aequor instat,
fulva palmarum series comatae
litora velant.

Lucidae stella tenebrae micanti
flaminis donant tepidum susurrum,
coccinis volgo redolent beatae
orchibus orae.

V. Regia Araba, quae "Alhambra" dicitur (Granada, Alhambra)

Vesperascit. Te lavat alba luna,
flos rubens collis, rosa picta saxo.
Nunc columnarum simulacra nectunt
murmura fontis.

Lympha de labris salit. Aura frondes
comit occasu calido. Remotae
eminente turres ut aves nigrantes
astrifera umbra.

VI. Insula Indonesiana "Bali" appellata

Tu serens undam Thetidis furori
pace Vulcani liquidae statuta,
caerulum gilvo prasino rubrumque,
insula dulcis,

tu rates crebras capiens benigna,
anxias curis releva medullas
saltu et incessu crotalistriarum
temperieque.

VII. Venetiae

Fluctuant aedes procul in lacuna.
Hic viae nullus rumor et vehicli.

Gurgitum mitis resonat favella
caeruleorum.

Templa radentes per aquas phaseli
usque labuntur nitidas fretorum,
lenis amplexu fluvii superba
limina gaudent.

VIII. Saltus aquarum, cui nomen "Niagara"

Murmur augescit. Fragor hic aquarum
per nemus fodit laricum meatus,
spuma concurrens niveo vapore
desilit ampla.

Silva pinorum nivea quiete
orat et fines fluvius polusque
conserunt. Sensus hominis recumbunt
turbine rapti.

IX. Cacumina Andina "Alturas de Macchu Picchu" dicta

Nubium candens prohibet corona
astrum mirari. Silet omne tempus.
Caelites mutis precibus sequuntur
edita saxa.

Quo facultates solii supremi,
magna quo fugit populi potestas?
Instat arcanum pavidis fugacis
cordibus aevi.

X. Specus "Postumienses" ('Postumia' in Jugoslavia)

Est Avernus. Lux tacuit. Cavernae
uvida manant lapides querella,
temporis stillas paries tuetur
rore cadente.

Umbra mortales rapiens profunda
sceptra Plutonis tenet ipsa duri
noctis et claudit spatia universae
amphitheatrum.

Florindo Di Monaco



MORTES

Victima morbi pestiferi novi, qui "Acquisitae Immuno - Deficientiae Syndroma" (AIDS) dicitur: actor cinematographicus Americanus Rochus Hudsonius (Rock Hudson), LIX paene annos natus, vita defunctus.

Die autem Martis - tertia feria - II^o mensis Octobris anno MCMLXXXV^o actor scaenicus cinematographicus Rochus Hudsonius (ius) morbo mortifero exitialique acquisitae immuno - deficientiae syndromate laborans diem suum obiit extremum Angelorum in oppido (Los Angeles) Californiae.

Rochus autem Hudsonius sub nomine "Roy(us) Tonsor" (Roy Scherer), die Martis - tertia feria - XVII^o mensis Novembris anno MCMXXV^o in Civitate Illinoisia natus est. Adop(ta)tione a vitrico peracta nomen Royus Geraldifilius (Roy Fitzgerald, roy Celtice = ruber) accepit. Anno tandem MCMXLVIII^o sibi ipsi cognomen Rochus Hudsonius adoptavit.

Prius quam officio actoris scaenici cinematographicici satisfecit, Rochus ut tabellarius, repraesentator societa-



tum mercatoriarum et autoraedarius laboravit. Anno autem MCMXLVIII^o ultima est ausus et impetum magnum ad prorsum conatus est, scilicet ad actorem cinematographicum.


Iam anno MCMXLIII^o primas (partes) egit in pellicula "Turma gladiatorum" (Anglice: Fighter squadron), anno MCMIL^o partes egit in pellicula "Remulcum" (Undertow). Anno MCMLIX^o cum partitionaria Dorothea Kappelhoff (Doris Day dicta) partes egit in pellicula "Susurrus in lectulo" (Anglice: Pillow talk, Germanice: Bettgeflüster).

Rochus autem Hudsonius, qui per annos paene quadraginta in sexaginta fere pelliculis cinematographicis partes egit, primus est vir prominens, quem fatum morbi pestilentis AIDS deprehendit et qui in illo morbo exitiali mortiferoque adhuc insanabili vehementer laborans pessum iit, sed tandem die extremo quasi dormiens miti obitu e vita excessit. Abhinc iam annum Rochus Hudsonius morbo pestienti acquisitae immunodeficientiae syndromate perpessus est. Rochus autem tractamentum cum remedio Francogallico speciali suscipere voluit, sed experimentum illud ad inritum cecidit. Mors autem Rochi Hudsonii in Civitatibus Cunitis discussiones vehementes de illo morbo pestifero mortiferoque incitavit, quoniam quidem morbus ille insanabilis imprimis corripit viros homoeroticos et drogomanicos sibi ipsis medicamenta psychotrophica in venas inicientes.

AMICUS

SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 1+2/87 proposuimus, hoc demonstrantur:



¹ A	² M	³ E	⁴ T
² M	O	D	I
³ E	D	A	M
⁴ T	I	M	E

Litterae ad editores

Domino linguaeque Latinae magistro Udalrico Aeschlimann Ioannes salutem plurimam dicit.

Spectatissime vetustiorum litterarum cultor, qui libello, qui "Rumor Varius" inscribitur, conscribendo, conficiendo, edendo, divulgando praesides,

mihi liceat in primis a te veniam petere teque, quam humanissimum virum impense orare, ut mihi ignoscas, si tam inurbane rusticeque me gessi, ut parum sollicite rescripserim ad te (arbitror enim tibi excusandum a me tarditatem litterarum) qui mihi mense Octobri elapsi anni epistulam misisti et, qua es benignitate (nam ego persuasum mihi habeo nec mihi mentiri videor, quo quisque est doctior et eruditior, eo humaniorem eum esse liberalioremque; quid enim quis aliud arbitretur Latinitatis studium efficere nisi ut nos ad bonos mores colendos et exercendos excitet alacrioresque reddat? aut, ut Erasmi Roterdami, quem valde probo, verbis utar, nonne ut quisque optime vivit, ita suavissime? Quid autem vitam meliorem reddit quam sapientia? ex quo facile intellegitur, qui maxime colamus sapientiam, nos optime vivere, id est suavissime atque ita ut hominem decet) libelli specimen donavisti.

Scriptiones in vestri commentarii volumine, quod Kalendis Augustis in vulgus manavit, collectas fere omnes legi et valde miratus sum, quam elegans, expolita, emendata, a veteribus scriptoribus minime abhorrens Latinitas Helvetica sit, sed in primis laudanda ea videntur, quae a Gymnasii cuiusdam discipulis Latine exarata tamque recta venustaque sunt, ut non amplius unum mendum deprehendi possit idque ambiguum, dubium, incertum, anceps.

Video enim vocem "chocolatam" adhiberi ad id genus cuppedinem significandam, quam Helveticci et Germanico vocabulo videlicet ab Italico sermone aut Gallico ducto "Schokolade", Italici vero "Cioccolata" vocant (qua voce etiam nonnullos Helvetiae cives, quorum patrius est sermo Italicus, uti nemo infitiari potest).

Quam vocem improbandam, quippe quae vulgarem et quasi Folenghianam Latinitatem (Theophilus Folengus Mantuae,

eadem in urbe, in qua Vergilius, natus aetate renatarum litterarum, eum cum taederet, quod fere omnes viri docti veterum carmina nimio obsequio illis temporibus imitabantur ac referre studebant, poemata pangere constituit cum foedissimam materiam tractantia, tum Italicis vocibus more Latino declinatis vel inflexis scatentia, videlicet ut gloriantum, se iactantium, putide et affectate sribentium litteratorum turbam irrideret). sapiat Antistes Antonius Bacci, praeclarissimus et mirae eruditionis vir, qui magnificum Lexicon Italicorum vocabulorum, quae difficilior Latine redduntur, concinnavit, (nescio an recte!) monet. Licet autem doctissimus hic vir "Theobroma" (quod Graece "deorum potionem" significat) aut "fabam Mexicanam" ad rem indicandam proponat, vox "chocolata" vel "socolata", quippe quae a linguis recentioribus ducatur, intellectu facilior ab optimo quoque Latinitatis cultore huius aetatis usurpatur; quid sit igitur quod reici debeatur, equidem non video.

Sed quid prodest in his quaestionibus haerere? Quid anxios circa verba esse?

Hoc facere solent infacundi et infelices "Latinitatis mortuae" cultores, qui, dum unum Ciceronem consequantur eiusdem epistulas quod Plauti sermonem redoleant, iuvenilia scripta, quod non satis polita et rudia inchoataque sint improbant, audent tot tantosque Latinitatis elegantissimos scriptore poetasque "naso suspendere adunco".


Quis enim negat, qui unum tantum Ciceronem probet, hunc nec ullam Latinitatem vivam unquam culturum et mentem semper frustra ac nequiam acturum et fatigaturum seque inanibus laboribus fracturum?

Si ego contendam Germanice non nisi Goethes exemplum esse imitandum nec dignum esse laude posse nisi qui Goethe imitetur, quis me satis sanum mentisque compotem iudicet? Ita res sese habent et cum de litteris Latinis agimus. Quis est qui, si Tullium unum, ceteris spretis, sequatur, irridendus non videatur?

Nostra illud maxime referre videtur, ut Latinitatem amemus et excolamus, atque, qua lingua olim vix ullus doctor aut cuiusvis disciplinae peritus vir non utebatur, eam hisce quoque temporibus ad in dies funestius ingruentem barbariem propulsandam, proterendam attollamus, adiuvemus, provehamus.

Te tuus omniumque Latine loquentium amicus salvere et valere iubet

Iohannes Albanese



Facete lepideque dicta

Filius callidus

Pater filium vituperat: "Cur, hercle, semper sero surgis? Fortuna mane tantum surgentes iuvat! Heri aliquis mihi narravit se praeter ceteros prima luce surrexisse et saccum CC Francos Helveticos continens invenisse." Ad haec filius "Quod demonstrat" respondit "illum infelicem, qui pecuniam amiserit, iam prius surrexisse!"

Uxoris opinio semper recta est

Maritus post cenam uxori "Aliquando loca mihi ignota visere velim," inquit "vel quidpiam facere, quod adhuc numquam feci!" Tum uxor "I, abi in culinam," murmuravit "purga vasa!" (vasa, -orum n. = das Geschirr).

Ars mira meteorologorum


Nonnulli Indiani haruspicem suum interrogant, utrum hiems severa instet necne. "Hiems severa erit," haruspex respondit "oportet vos magnam copiam lignorum colligere!" Cum autem hebdomadibus subsequentibus aliis de hieme instantे interrogantibus idem responsum det, dubius fit, utrum signa observata recte interpretatus sit. Qua ex causa telephonice aliquem artis meteorologicae peritum in

statione meteorologica interrogat de eius opinione. Qui "Non dubito" respondit "quin hiems proxima severa futura sit; Indiani enim ligna colligunt ut dementes!"

Examen feliciter peractum

Professor examinando, qui, dum examen manebat, nulli quaestioni respondere potuit, "En, tibi nunc" inquit "quaestionem ultimam proponam. Cui si respondere potueris, tibi testimonium examinis feliciter peracti mandabo. Quantos capillos habet equi cauda?" - Examinandus "Tria milia quingentos octoginta tres!" respondit. Tum professor "Unde habes hunc numerum?" interrogat. Examinandus autem "Ignoscas," inquit "professor maxime honorabilis, ipse promisisti priorem quaestione fore ultimam."

Udalricus Aeschlimann



OMNES, QUI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS, ROGAMUS

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quandocumque nobis scribetis. Valete!

RVMORIS VARII domus editoria

Aenigma

1. eveniat
2. via
3. quoddam metallum (Abl.)
4. quidam numerus

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann

4	2	3	1
2			
3			
1			



Iocosa ecclesiastica nova

Sacerdos ille catholicus scriptorque, cuius e stilo emanavit liber, cui titulus "Ach, das himmlische Bodenpersonal", nuper novum in lucem edidit libellum facete lepideque dicta continentem ecclesiastica. E quo libello, qui inscribitur "Wie man dem Himmel am nächsten kommt", nonnulla vobis praebebo. Totus emi potest apud domum editoriam "Canisi" Friburgi in oppido Helveticu, nomenque sacerdotis est Aloys(ius) von Euw Morschachensis.

* * * *

Media in Africa olim fanum parvulum stramento lignoque factum fulmine ictum combustum est. Maestus, sed confidens in hominum liberalitatem, pater Udalricus per vicum it pecuniam collecturus ad novum templum aedificandum. Plerisque indigenis dantibus Matavisa senex recusat verbis

his: "Nullo modo, nequaquam, nullo pacto quicquam dabo domino domum ipsius comburenti!"

Novos custodiae papalis Helveticae milites Leo papa XIII. tribus quaestionibus interrogare solebat his: "Quamdiu ieuniare potes? Quot annos natus es? Vivuntne etiam mater paterque tuus?" Quaestionum series semper erat eadem, atque tirones linguae Italicae ignari responsa correcta ediscebant.

At die quodam mutata serie colloquium factum est tale fere: "Quot annos natus es?" - "Duos dies." - "Quamdiu ieuniare potes?" - "Viginti quattuor annos." Responsis talibus perturbatus papa exclamavit: "Alter nostrum mente captus est!" Tum tiro: "Uterque."

Ioannem papam XXIII. valetudinarium Spiritus Sancti Romae visitantem superiorissa his est adfata: "Salva sis, sanctitas! Ego sum superiorissa Spiritus Sancti." Tum papa: "Bene tibi, egometipse tantummodo sum vicarius Christi."

Cardinalis Bertram(us), archiepiscopus Vratislaviensis (1), Pii papae XI. electionem participaverat. Paulo post in ritu sacrae confirmationis e puellula quadam quaesivit, num et is ipse papa fieri potuisset. "Non potuisti", puella respondit. - "Sed, pro Deus, cur non potui?" - Tunc puella sincere: "In hoc munus semper sapientissimus omnium eligitur ..."

Anna Petrusque ex una tantum septimana matrimonio sunt coniuncti, sed nihilominus morosum se iam gerit Petrus. Ad quem Anna: "Quid aegre fers? Nonne meministi sententiae nostrae coniugalnis a sancto Paulo apostolo Corinthiis scriptae: 'C(h)aritas patiens est: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet'."- Ad ea Petrus morose: "At non legitur: 'Omnia comedit'..."

1 Vratislavia, -ae f. Breslau (Polonice: Wroclaw), urbs Polonica, olim Germanica

Martinus Meier

Cantemus, o amici!

Omnis aves adsunt iam....

(Alle Vögel sind schon da...)

Omnis aves adsunt iam,

Omnis aves, omnes!

Qualis cantus, concentus,

Sibilus, fritinnitus!

Ver advenit funditus

Cantu atque sono.

Alle Vögel sind schon da,

Alle Vögel, alle!

Welch ein Singen, Musiziern,

Pfeifen, Zwitschern, Tiriliern!

Frühling will nun einmarschiern,

Kommt mit Sang und Schalle.

Quam et omnes laetae sunt,

Laete et se movent!

Turdus, sturnus, merula,

Omnis avium caterva

Bona tibi omnia

Optant atque vovent.

Wie sie alle lustig sind,

Flink und froh sich regen!

Amsel, Drossel, Fink und Star

Und die ganze Vogelschar

Wünschen dir ein frohes Jahr,

Lauter Heil und Segen.

Id, quod nuntiant, volumus

Menti nunc mandare:

Laeti esse volumus,

Laete ut aviculus

Ubivis medullitus

Festive cantare.

Was sie uns verkünden nun,

Nehmen wir zu Herzen:

Alle wolln wir lustig sein,

Lustig wie die Vögelein

Hier und dort feldaus, feldein

Singen, springen, scherzen.

Versio Latina: AMICUS

DE COMPUTATRIS

Tractationis pars prima:

Prooemium et pauca de historia computatri

Prooemium

Iam ex antiquis temporibus homo machinas construere conabatur, quae pro se cogitarent aut saltem sibi in

difficillimo labore numerandi et computandi auxilio essent. Ita homines antiquitus baculis utebantur aut funiculis, ut incisuris sive nodis numeros indicarent. Romani postea abacis computaverunt.

Usque ad initium huius saeculi continenter novi conatus facti sunt machinas calculatorias construendi et meliorandi. Hi autem conatus non nimis bene evenerant, antequam fluento electrico ad machinas calculatorias construendas uti successit.

Prima computatra sive machinae calculatoriae, quae tunc principio fluenti electrici utentes constructae sunt, tubis electronicis nitebantur.

Secundus maximi momenti progressus fuit inventio transistri anno 1948°. His transistris, quae multa minora sunt quam tubi electronicci, primo magnitudo computatrorum multo minui potuit, deinde tubi electronicci citius deficiunt quam transistra, tum transistra minorem energiam quam tubi electronicci consumunt.

His inventionibus factis nihil iam iis incredibilibus progressibus obstabat, quibus scientia computatrorum in statum hodiernum pervenit.

Hodierno vero tempore, cum computatra iam omnibus in partibus administrationis, mercatus, etiam rerum industrialium adhibeantur, homines magis computatris regi et administrari videntur quam computatra totaque huiusmodi technica ab hominibus gubernari. Quamquam commodum esse videtur atque iucundum multos labores, quos ante homines magna opera fecerunt, in machinas transferri, hic maxima oriuntur pericula. Machinae, ut omnes bene scimus, nequaquam postulant septimanam duodequadraginta et dimidiae horarum, nequaquam postulant ferias, immo ne mercedem quidem poscunt. Quis hominum talibus condicionibus laboraret?

Computatra revera facile locum multorum hominum occupant. Vix profesiones exstant, quae hodie aut in futuro machinis cogitantibus, quae dicuntur, expleri non possint.

Neque autem talia problemata cognovisse satis erit, sed etiam periculorum consciit de commodis ac incommodis deque necessitate huius technologiae diligenter deliberemus necesse est, ne nobis idem accidat ac discipulo magi: "Quos

convocavi, daemonibus nunc non absolvor."

Pauca de historia computatri

Anno

100 a.Chr.n. Romani abacis computaverunt.

1623 p.Chr.n. Wilhelm Schickhardt machinam calculatoriam mechanicam cum 6 positionibus decimalibus et additione et subtractione construxit.

1642 Blaise Pascal machinam calculatoriam cum 8 positionibus decimalibus construxit.

1727-1784 Antonius Braun, Matthaeus Hahn, Johannes Helfrich von Müller machinas calculatorias construxerunt.

1830 Charles Xavier Thomas fabricationem serialem machinarum calculatoriarum instituit.

1887 Hermann Hollerith machinam numeratoriam et ordinatoriam ad chartas perforatas legendas construxit.

1935-1941 Konrad Zuse machinas calculatorias electricas construxit.

1941 Konrad Zuse primam machinam calculatoriam perfecit, quae programmate recta est. Illa chartis perforatis programmatur et habet 2600 commutamina.

1944 Howard H. Aiken computatrum Mark I construxit, quae habuit 72 instructus additionis cum vicenis ternis positionibus decimalibus.

1946 John Eckert et John Manchly computatrum ENIAC perfecerunt, quod primum computatrum electronicum fuit. Habuit 18000 tubos electronicos et 1500 commutamina. Illa machina spinis conexivis atque tabulis distributionis programmabatur.

1949 Computatrum Mark II memoria cylindri magnetica instructum est.

1953 In instituto Maximiliani Planck Gottingensi computatrum G 1 cum transistris perfectum est.

1954 Incepit fabricatio serialis transistorum.

1956 Taeniae magneticae memoriae externae adhibebantur.

1957 Lingua FORTRAN publice proposita est.

1960 Memoriae discorum magneticorum constructae sunt.

1961 Lingua COBOL publice proposita est.

1964 Circuitus integrati constructi sunt.

1967 Computatra constructa sunt, quorum tempus computationis pluribus utentibus distribuitur. Haec ratio "distributio temporis computationis" nominatur.

1970 Apparatus electronicae datorum tractationis commerciales memorii principalibus semiconductoris instruebantur.

1976 Memoriae magneticae constructae sunt, quae 92000 binarios in una assula condere possunt.

1979 Incepit inundatio microcomputatrorum.

(Tractatio proximo libello continuetur)

Robertus Maier et Matthias Heyden



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonneiere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitten-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonneiere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich


Datum und Unterschrift

AZ


8050 Zürich

3 + 4 / 87

IDIBVS APRILIBVS
MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 64